

IV.

**Copiae**

Privilegiorum, aliorumque literalium  
Instrumentorum, quae in Archivo Sedis  
et Oppidi Leschkirch asservantur.

---

I.

Sigismundi Báthori de Somlyo, Vajvodae Trans-  
sylvaniae Confirmatio omnium Immunitatum et Pri-  
vilegiorum Oppido Leschkirch antehac indultorum,  
signanter vero, ne Judicatus in alium locum trans-  
ferri possit. dd. Alba Julia die 14. Junii  
Ao. 1588.

---

Nos Sigismundus Báthori de Somlyo Vayvoda  
Tranniae et Siculorum Comes etc. memoriae com-  
mendamus tenore praesentium, significantes, quibus  
expedit, universis, quod pro parte in personis Pru-  
dentum Circumspectorum Judicis Regii, Villici, cae-  
terorumque juratorum civium, ac universorum inco-  
larum Oppidi nostri Saxonicalis Ujegyház, sive  
Leschkirch, in Sede eadem Ujegyháziensi existentis,  
supplicatum est nobis humillime, ut eosdem in  
Bereins-Archiv IV. 1. 5.

antiquis suis Libertatibus, Privilegiis, Immunitatibus et Indultis, a Divis quondam Regibus Hungariae, praedecessoribus videlicet Nostris, donatis et contributis, gratiose et clementer conservare dignemur: Signanter vero, ne Judicatum ex memorato Oppido Ujegyház, sive Leschkirch, in alium Locum transferri permetteremus. Cum itaque aequum sit ac justum, unumquemque subditorum nostrorum in antiquis suis privilegiis conservare, praefatos quoque Inhabitatores dicti Oppidi Ujegyház, tanquam fideles nostros Subditos, in pristinis ipsorum Libertatibus, privilegiis, Immunitatibus et Indultis, quibus hucusque sine omni difficultate et impedimento usi et gavisii sunt, duximus conservandos, ut nimirum omnibus et singulis iis privilegiis et Libertatibus, quibus hactenus, quemadmodum praemissum est, usi sunt, in posterum quoque uti, frui et gaudere valeant, atque possint; prout conservamus eosdem vigore praesentium. Quocirca vobis universis ac Singulis Magnificis, Egregiis, Nobilibus, Comitibus, Vcomitibus et Judicibus Nobilium quorumcumque Comitatum, Capitaneis, praefectis, Provisoribus, ac aliorum quorumvis Locorum Officialibus, signanter vero Prudentibus, Circumspectis, Magistro Civium, Regio ac Sedis Judicibus, ceterisque Juratis Civibus Civitatis Nostrae Cibiniensis, modernis et futuris, pro tempore constituendis, praesentes Nostras visuris, harum serie committimus et mandamus firmiter: ut acceptis praesentibus, vos quoque a modo in posterum annotatos Inhabitatores dicti Oppidi Ujegyház, eorumque successores et Posteritates universas in cunctis eorum Immunitatibus et privilegiis, in quorum usu hactenus fuerunt, et nunc sunt, conservare, et per eos, quorum interest, conservari facere, nec denique Judicatum, quem hactenus penes ipsos fuisse constat, unquam

in alium locum transferri, cuiquam permittere debeat, ipsosque in praedictis nullo modo turbare, molestare, aut damnificare praesumat, nec sitis ausi modo aliquali. Secus non facturi, praesentibus perlectis, exhibenti restitutis. Datum in Civitate Nostra Alba Julia, decima quarta die Mensis Junii ao Domini millesimo Quingentesimo Octogesimo Octavo.

Sigismundus Báthori  
de Somljo (S. S.)

Wolfgang Kovachoczy  
Cancellarius.

2.

Deliberatum Incl. Universitatis Saxonicae in Causa controversa Inhabitorum Oppidi Ujegyház, qua A. A. ab una, et Incolarum possessionis Oltzona qua I. I. ab altera, parte, ratione residentiae Judicatus, et aliarum dicto Oppido antehac indultarum Immunitatum, per quod Judicatu in Oppido Ujegyház post hac existenti in Criminalibus et Causis Civilibus plenum Jus cognoscendi ad instar reliquorum Oppidorum Liberorum conceditur. d. d. Cibinii die 22a. Novembris 1620.

Nos Magistri Civium, Regii et Sedium Judices, ceterique Dnii Provinciales, Civitatum Cibiniensis, Segesvariensis, Coronensis, Mediensis et Bistriciensis; Item septem ac duarum Sedium Saxonicalium Saxonicae Universitatis in Transsilvania etc.; Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis: Quod prudentes ac Cir-

eumspecti Universi Inhabitatores Oppidi Saxonicalis Ujegyház in eadem Sede Ujegyház existentis, coram Nobis comparuerunt in congregatione nostra Generali Cibiniensi, pro festo videlicet beatae Catharinae virginis, ut Actores; Item Prudentes ac Agiles Inhabitatores Possessionis Oltzina ut Incti; signanter vero Inhabitatores Oppidi Ujegyház, significaruntque nobis, quomodo elapsis annis ad Instantiam Dni Joannis et Pauli Gerendi Electio et Tribunal Regii Judicatus sit ab ipsis ablata, et in possessionem Oltzina sit translata, in ipsorum praejudicium et derogamen, Privilegiorumque violationem, rogantes demisse, ut ipsis de opportuno remedio provideremus, quo in integrum restitui possint et debeant, productis ipsorum Privilegiis a Regibus Hungariae, principibus Transsilvaniae concessis, et gratiose datis, ita ut Electio et Sedis Judicatus in Oppido Ujegyház et non in Possione Oltzina conservari debeat, secundum tenorem privilegiorum; Imo etiam illos nempe Inhabitatores Oltzina fora annualia sive nundinas liberas binas quottannis expetivisse in ipsorum damnum manifestissimum. Replicarunt quidem Inhabitatores possessionis Oltzina; se aequali modo gaudere privilegiis et Donationibus Principum superinde extradatis, illisque productis, ambarumque partium liberalibus Instrumentis perlectis, ruminatis, ultro citroque examinatis, palam factum, quod Inhabitatores Oppidi Ujegyház et Antiquitate temporis, Privilegiorumq. firmitate et praestantia sint superiores, illosque rem justam prosequi et rehabere velle. Quapropter Honorabilis Consessus Dnorum provincialium veritati fidem facere volens, et quo Controversia inter illos incensa in majorem ignem ne excrescat, verum pacis et tranquillitatis ornamentum conservetur, annuentes et indulgentes statuerunt: ut Judex et Jurati cives Oppidi Ujegyház ad Jus di-

cendum constituti, et imposterum quoque constituentes, instar aliorum Oppidorum Liberorum, tam causarum, controversiarumque forensium omnium, quam rerum criminalium et capitalium, inter eos et inter territoria eorum emergentium, plenum Jus et potestatem dijudicandi habeant, et sortiantur, usitatas Legum actionumque suarum Judicialium formulas et Statuta sequentes. Quemadmodum hoc ipsum universis Civibus et inhabitatoribus praedicti Oppidi Ujegyház modernis et futuris ratione praemissa annuimus et concedimus, harum nrarum pendentes et provincialis Sigilli nostri munimine roboratarum vigore, et testimonio literarum mediante. Datum in Congregatione nostra Generali Cibiniensi. Die Vigesima Secunda Novembris, Anno Millesimo Sexcentesimo et vigesimo.

Stephanus Simonius.  
provincialis Notarius.

**3.**

Gabrielis principis Transsilvaniae Confirmatio Privilegii a Sigismundo et Christophoro Báthori Oppido Leschkirch indulti, hujus tenoris: Ut Electio Regii Judicis semper sit in dicto Oppido Leschkirch, qui et Locus principalis esse debeat, et ut in ipsa Electione Oppidani sint suffragiis priores, d. d. Kolosvár, die 18a. Novemb. A. 1627.

---

Nos Gabriel Dei Gratia Sacri Romani et Transsilvaniae princeps, partium Regni Hungariae Dominus, Siculorum Comes, ac Oppulae Ratiboriaeque

**Dux etc.** Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis; Quod fideles nri Prudentes ac Circumspecti, Johannes Radar Regius, Michael Wargá Sedis, Judices, et alter Michael Condort, Juratus Civis Oppidi et Sedis Nostrae Saxonicalis Ujegyház, nostrae Serenitatis venientes in conspectum, suis, ac reliquorum dicti Oppidi nostri, totiusque Sedis Saxonicalis Ujegyház, universorum Civium et Inhabitorum nominibus, atque in personis exhibuere nobis et praesentavere certas quasdam Serenissimi quondam principis Sigismundi Báthori de Somlyo Vajvodae Tranniae, etc. Literas Confirmationales, in simplici pergamento patenter confectas, sigilloque impendenti authentico, pariter et manus Ejusdem propriae subscriptione communitas; Quibus mediantibus, Idem Sigismundus quondam Báthori, alias quasdam similiter Illustrissimi dudum principis Christophori Báthori de Somljo, scilicet Genitoris sui, annuenticiales atque privilegiales Literales confirmasse dignoscebatur; tenoris infrascripti: Supplicantes Serenitati nostrae humillime quatenus praemissas illas confirmationales Literas, omniaque et singula in eisdem contenta, ratas, gratas et acceptas habentes, praesentibus Literis nris, verbotenus inseri et inscribi facientes, approbare ratificareque, ac pro praedictis Regio et Sedis Judicibus, ceterisque Inhabitoribus praefati Oppidi nri et Sedis Saxonicalis Ujegyház, ipsorumque universis posteris et sucesoribus innovando, perpetuo valituras gratiose confirmare dignaremur: Quarum quidem praenotatarum Literarum tenor verbalis hic est: Nos Sigismundus Báthori de Somljo Vajvoda Tranniae et Siculorum Comes etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes quibus expedit universis; Quod Prudentes ac Circumspecti Ambrosius Fridrich Judex Regius, et Johannes Con-

radus Juratus Senior Oppidi et Sedis nrae Saxonicalis Ujegyház, sive Leschkirch, in suis ac reliquorum Incolarum et Inhabitatorum ejusdem Oppidi et Sedis nrae Ujegyház nominibus et in personis nram personaliter venientes in praesentiam, exhibuerunt et praesentaverunt nobis quasdam Literas Illustrissimi quondam ppis et Dni Christophori Báthóri de Somljo Vajvodae Tranniae et Siculorum Comitis etc. Dni Genitoris nri, felicitis reminiscentiae, desideratissimi, in dupplici papyro patenter confectas et emanatas, Sigilloque Ejusdem Dni Genitoris nri, et manus subscriptione roboratas; Quibus mediantibus Idem quondam Dnus Genitor noster Electionem Judicatus Regii praedicto Oppido Ujegyház seu Leschkirch annuisse, oppidumque ipsum ejus rei Locum authenticum et principalem designasse, suffragium etiam de eligendo Judice ipsis Oppidanis Ujegyház sive Leschkirch contulisse dignoscebatur, tenoris infrascripti: Supplicantes nobis humillime, ut nos easdem literas, omniaque et singula in eis contenta, ratas, gratas et acceptas habentes, praesentibusque literis nostris de verbo ad verbum inseri et inscribi facientes, benevole acceptare, approbare, ratificare et confirmare dignaremur; Quarum quidem Literarum tenor sequitur in hunc modum: Nos Christophorus Báthóri de Somljo Vajvoda Tranniae et Siculorum Comes etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes quibus expedit universis; Quod cum ex humillima supplicatione Circumspectorum Villici, Juratorum ac universorum Civium et Incolarum Oppidi Saxonicalis Ujegyház, alio nomine Leschkirch, in eadem Sede Ujegyház seu Leschkirch existentis, antiquis temporibus Electionem Judicis Regii ejusdem Sedis Ujegyház sive Leschkirch, in eodem Oppido Ujegyház fuisse, ac in ferendis suffragiis de eligendo judice Regio ipsos priores et

potiores existisse, quemadmodum hoc priscorum Hungariae Principum, utpote Ludovici primi ac Sigismundi et Matthiae Regum, piae memoriae, privilegiis manifeste comprobaretur, tempore duntaxat Regis Joannis, electionem ipsam Judicis Regii ad Oppidum Olezona, Judice Regio Petro Gerendio existente, translatum atque nomen ipsis Sedis Ujegy haz sive Leschkirch in appellationem Olezona esse usurpatum. Quod non solum ipsorum Oppidanorum Ujegy ház, sed etiam ceterarum Sedium Saxonicalium Juribus quodammodo praejudicari et derogari videretur. Quare cum ad Ipsorum Oppidanorum Ujegy ház, alio nomine Leschkirch Supplicationem humilem; tum vero ad intercessionem nonnullorum Dominorum Consiliariorum Nostrorum, nobis superinde factam, Antiquum usum, in eligendo Judice Regio observandum, atque ipsis Incolis praedicti Oppidi Ujegy ház sive Leschkirch gratiose annuendum duximus et concedendum; ut sicuti praeis illis et antiquis, sic deinceps quoque successivis semper temporibus Electio Judicis Regii in eodem Oppido Ujegy ház seu Leschkirch fiat; Oppidumque ipsum ejus rei locus authenticus et principalis habeatur, in ferendis etiam suffragiis de eligendo Judice Regio, ipsi Oppidani Ujegy ház priores et potiores reputentur: Imo annuimus et concedimus harum nostrorum vigore et testimonialium Literarum mediante. Datum Albae Juliae die 7a Martii ao Dni Millesimo Quingentesimo Octuagesimo primo. Nos igitur praemissa supplicatione praefatorum Ambrosii Fridrich et Johannis Conradi, nobis modo quo supra porrecta, faventer exaudita, et benigne admissa, praescriptas literas non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibus Literis nostris verbotenus sine augmento vel diminutione ali-



quali insertas et inscriptas, quoad omnes earum continentias, clausulas, articulos et puncta, eatenus quatenus eadem rite et legitime existunt emanatae viribus earum veritas suffragatur, et quatenus sine aliorum Locorum praejudicio fieri poterit, acceptavimus, approbavimus, ac pro Eisdem Incolis et Inhabitoribus Oppidi et Sedis ejusdem Ujegyház alias Leschkirch, eorumque posteris successoribus universis, perpetuo valituras confirmavimus; Imo acceptamus, approbamus, ratificamus et confirmamus harum nostrarum vigore et testimonio Literarum mediante. Datum in Civitate Nostra Alba Julia, Vigesima Octava die Mensis Aprilis Anno Dni Mile-simo Quingentesimo Octvagesimo Nono. Itaque hujusmodi humillima supplicatione supradictorum Johannis Radár, Michaelis Warga, et alterius Michaelis Condort, suis ac ceterorum Universorum Civium et Inhabitorum toties memorati Oppidi nostri ac Sedis Saxonicalis Ujegyház nominibus, et in personis nostrae modo quo supra, porrecta Serenitati, principali benignitate exaudita, clementer et admissa, praemissas literas confirmationales, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas; sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibus Literis nostris similiter Confirmationalibus, de verbo ad verbum sine diminutione, augmento et variatione aliqua praecinsertas atque inscriptas. quoad omnes earum continentias, clausulas, articulos et puncta, eatenus quatenus eadem rite et legitime existunt, emanatae, viribus earundem veritas suffragatur, ratas, gratas, et accepta habentes, approbavimus, corroboravimus et ratificavimus; ac pro saepedictis Regio et Sedis Judicibus, ceterisque Oppidi et Sedis Saxonicalis Ujegyház Civibus et Inhabitoribus, Ipsorumque posteris et successoribus Universis, innovantes, perpetuo valituras gratiose con-

firmavimus; Imo acceptamus, approbamus, corroboramus, ratificamus atque confirmamus, Harum nostrarum pendentis et authentici sigilli nostri munimine roboratarum, vigore et testimonio Literarum mediante. Datum in Civitate nostra Colósvár, die decima Octava Mensis Novembris; Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Septimo.

Gabriel.

Stephanus Kovachoczy,  
Cancellarius.

---

4.

Gabrielis Principis Tranniae Confirmatio Privilegii Sutoribus, Sartoribus, Doliatoribus, Fabris-ferrariis, Pellionibus, Funicibus, et Corigiariis in Oppido Ujegyház existentibus, indulti, super eo, ut libere ad instar aliarum Civitatum et Oppidorum Confraternitates, seu Celas erigendi gaudeant facultate. d. d. Colosvár die Novembris  
Ao. 1624.

---

Nos Gabriel Dei Gratia Sacri Romani Imperii et Tranniae Princeps, Partium Regni Hungariae Dominus, Sicularum Comes, ac Oppuliae Ratiboriaeque Dux etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod pro partibus et in personis fidelium nostrorum Circumspectorum Universorum Magistrorum Sutorum, Sartorum, Doliatorum, Fabrorum-Ferrariorum, Rotariorum, Pellionum, Funicum, et Corigiariorum, in Oppido Ujegyház vocato, et sede Saxonicali eadem Ujegyház existentium propriis, exhibitae sunt nobis et praesentatae quaedam Literae Serenissimi quondam Sigis-

mundi Báthori de Somljo, Principis Transilvaniae, piaec recordationis, privilegiales, quibus mediantibus dictus quondam Princeps eandem Cehae praefatorum Magistrorum Sutorum, Sartorum, Doliatorum, Fabrorum-Ferrariorum, Rotariorum, Pellionum, Funicum et Corrigiariorum Praerogativam et Annuentiam, quibus ceterarum Civitatum, Oppidorum et Sedium Saxonicalium Magistri utuntur, et gaudent, principali Sua auctoritate dedisse et contulisse dignoscebatur tenoris infrascripti. Supplicantes Nobis humillime, ut nos, easdem Literas Privilegiales et annuenticas; Quarum quidem Literarum Originalium scilicet in pergameno simplici palenter confectarum, pendentique et authentico praefati quondam Principis Sigismundi Bathori sigillo, atque manus ejusdem propriae subscriptione corroboratarum tenor verbalis in hunc modum habet. Nos Sigismundus Bathori de Somljo Vayvoda Transilvaniae et Siculorum Comes etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis: Quod nos, cum ad nonnullorum Dnorum Consiliariorum nostrorum nobis propietera factam intercessionem: tum vero volentes pro muneris nostri ratione, sicuti caeterorum omnium subditorum nostrorum, ita etiam universorum Magistrorum Sutorum, Sartorum, Doliatorum, Fabrorum Ferrariorum, Rotariorum, pellionum, Funicum et Corrigiariorum, in oppido nostro Saxonicali Ujegyház vocato in eadem Sede Ujegyház existentium, commorantium, commodo et utilitati consulere, ut scilicet ipsi Artifices familias suas commodius alere, et rebus suis privatis pariter et publicis honeste prospicere, denique aliorum etiam commoda labore atque industria sua juvare possint, id eisdem Magistris et Artificibus in dicto Oppido Ujegyház degentibus, ipsorumque Succesoribus et Posteritatibus universis, ex speciali nostra Gratia annu-

endum duximus et concedendum, ut ipsi instar aliarum Civitatum, Oppidorum et Sedium hujus Regni Tranniae, quae Cehas seu Confraternitates speciales habere dignoscuntur, a modo in posterum successivis semper temporibus Ceham seu Confraternitatem habere, ac servitores seu famulos in sua Ceha alere, peritos et exercitatos tenere et fovere, artem eorum libere, et citra quodlibet impedimentum quorumlibet exercere, et operas, uti moris est, decenti atque usitato pretio secure vendere, distrahere, atque illis sese ac familias suas honeste alere, et sustentare; omnibus etiam praerogativis et libertatibus, quibus aliae Cehae et Confraternitates in Civitatibus, Oppidis et Sedibus hujus Regni Tranniae existentes utuntur, fruuntur et gaudent, uti, frui et gaudere possint et valeant, imo annuimus et concedimus, praesentium per vigorem, citra tamen damnum praejudicium aliorum Locorum, in eorum vicinitate existentium quocirca vobis Universis et singulis Prudentibus et Circumspectis Magistris Civium, Regiis ac Sedium Judicibus, caeterisque Juratis Civibus, Universitatique Magistrorum Sutorum, Sartorum, Doliatorum, Fabrorum-Ferrariorum, Rotariorum, Pelionum, Funificum et Corigiariorum quarumlibet Civitatum, Oppidorum, Villarum, et possessionum hujus Regni Tranniae. Cunctis etiam aliis quocunque officio et praefectura fungentibus modernis et futuris, praesentium notitiam habituris, harum serie committimus, et mandamus firmiter; ut nullus omnino vestrum huic annuentiae nostrae ausu quopiam temerario repugnare audeat, sed pro benigna concessione et annuentia nostra memoratis Magistris et Artificibus, eorumque Successoribus et Posteritatibus Universis artem eorum libere, et citra impedimentum aliquod exercere, famulos et servitores ipsorum artis peritos et exercitatos in sua Ceha fovere, operas

eorum aliis decenti pretio secure dividere, seu distrahere, atque his sese familiasque suas alere sustentareque permittatis, et aliis etiam, ut permittant, jubeatis, ac omnibus praerogativis et Libertatibus instar aliarum Ceharum seu Confraternitatum in Civitatibus, Oppidis et Villis, possessionibusque hujus Regni Transilvaniae habitatum perpetuo uti, frui, et gaudere, eisdem, ipsorumque successoribus et posteritatibus universis, concedere modis omnibus debeatis, et teneamini. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes literas nostras pendens et authentici sigilli nostri munimine roboratas praefatis Magistris Sutoribus, Sartoribus, Doliatoribus, Fabris Ferrariis, Rotariis, Pellionibus, Funificibus et Corigiariis, eorumque Successoribus et Posteritatibus Universis dandas duximus et concedendas. Datum in Civitate Nostra Alba Julia decima quarta die Mensis Maji Anno Dni Milesimo Quingentesimo Octogesimo nono. Sigismundus Bathori. Wolfgangus Kovachoezy. Nos igitur praemissa supplicatione modo quo supra porrecta, faventer exaudita et admissa praescriptas Literas dicti quondam Sigismundi Bathori de Somljo annuenticiales et privilegiales, non abrasas, non cancellatas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, praesentibus Literis nostris Confirmationalibus de verbo ad verbum sine diminutione vel augmento aliquali insertas et inscriptas, quoad omnes earum continentias, clausulas, puncta et Articulos eatenus, quatenus eadem rite et legitime existunt, emanatae, viribus earum veritas suffragatur, ratas, gratas, et acceptas habentes, accepavimus, approbavimus et ratificavimus, ac pro praenominatis Magistris Sutoribus, Sartoribus Doliatoribus, Fabris-Ferrariis, Rotariis, Pellionibus, Funificibus et Corigiariis, universisque ipsorum Successoribus et posteris in perpetuum valituras

gratiose confirmavimus; Imo acceptamus, approbamus, ratificamus, et confirmamus, harum nostrarum vigore et testimonio Literarum mediante. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes Literas nostras pendentis et authentici sigilli nostri munimine roboratas superinde clementer dandas duximus et concedendas. Datum in Civitate nostra Colo'svár, die decimo quinto Mensis Novembris. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Septimo.

Gabriel.

Stephanus Kovachoczy.  
Cancellarius.

5.

Literae metales Territorii Villae desolatae Unterten dictae, quod inter tres Communitates Leschkirch, Oltzina et Kürpöd per Deputatos Incl. Ursitatis Saxonicae divisum est, ex quo Territorio cum Consensu Capituli Cibiniensis Decimae Domui Eleemosinariae Cibiniensi praestari debent, in quarum redemptionem Kürpöd fl. 10 — Leschkirch fl. 3 — et Oltzina fl. 2 — contribuet. d. d. Cibinii.  
die 20a. August Ao. 1543.

Nos Petrus Haller Magister Civium, Joannes Veres Judex Regius, et Martinus pilgeram Judex Consistorialis, caeterique Consules Civitatis Cibiniensis, nec non Michael Hegjes Magister Civium Cittis Segesvariensis, ac Paulus Bolkasch Judex Regius de eadem, Joannes Fabri Villicus, et Nicolaus Zabo Judex Civitatis Megjesiensis, Joannes Fux Judex Civitatis Brasoviensis, Petrus Rener, Judex Cittis Bistriciensis, Georgius Kyser Judex Regius Cittis

Szássebesiensis, Michael Horváth Judex Regius Sedis Leschkirch, Joannes Margondai Judex Regius Sedis Schenk, nec non Benedictus Sykesdy Judex Regius Sedis Rupes, ac Joannes Nagy Judex Regius Szászvárosiensis ceterique Jurati seniores septem et duarum Sedium, partium Transilvanicarum, ac Cittum Brasoviensis et Bistriciensis; Memoriae commendamus, et ad universorum notitiam volumus perveniri, Quod cum inter Prudentes et Circumspectos Jacobum Göckel, Judicem Sedis Leschkirch et Benedictum Lösch Villicum, ac Joannem Salmon, et Georgium Femmich, Juratos Seniores, totamque Communitatem de eadem; nec non inter Jacobum Barth Juratum et Servatium Zabo ex Communitate Villae Kürpöd, totamque Communitatem de eadem, Georgium Erman, Juratum Senioremem de Oltzona, totamque Communitatem de eadem ratione certi Territorii ejusdem tribus Villis confinii, ad certam Villam Undyrfft nuncupatam (quae olim ab immanis Turcis totaliter fuerat desolata) pertinentis, a multo tempore elapso, hucusque Rixarum controversiae et variae contentiones saepe fuissent, omnibus praescriptis tribus Communitatibus damnosae et intolerabiles, ideoque nobis per praedictas tres Communitates continua prece exstitit supplicatum, quatenus hujus modi Controversiarum anfractus penitus sopire et sedare, pacemque perpetuae tranquillitatis inter easdem sancire et ordinare, dictumque Territorium Undyrfft nuncupatum pro congrua et debita exigentia ipsarum trium partium legitime dividere, metasque et limites earundem partium, prout eisdem prodesse videretur, erigere et assignare facere dignaremur. Nos igitur hujusmodi petitionibus justis utputa et legitimis nobis in hac parte oblatis benigne annuentes, Prudentes ac Circumspectos Dnos Joannem Weres Judicem Regium, ac

Petrum Noorempenger Juratum Consulem Cittis Cibi-  
niensis, nec non Mathiam Funificem Judicem Sedis  
Cittis Segesváriensis, ac Nicolaum Szabó Judicem  
Cittis Megjesiensis, et Georgium Kyser Judicem  
Regium Cittis Szászsebesiensis, nec non Magistrum  
Lucam Trapoldianum, Notarium nempe provincialem,  
plena cum Informaone et authoritate nostra in per-  
sonis nostris ad faciem praedicti Territorii Villae  
Undyrfft desolatae de voluntate et annuentia dictarum  
trium Communitatum Kürpöd, Olzna, et Leschkirch  
pro directa dicti Territorii divisione transmisimus.  
Qui tandem ad nos reversi conscientiose recognove-  
runt, se praefatum Territorium desolatae villae Un-  
dyrfft juxta nostram Informationem praefatis tribus  
Communitatibus ex aequo legitime divisisse et dis-  
tribuisse, metisque legitimis praesignasse, pro se ac  
posteris suis universis perpetuo possidendam, in hunc  
qui sequitur modum. Item primo incipiendo in eo  
loco, ubi concurrunt Territoria Olzona et Undyrfft,  
nempe circa pratum Judicis Regii de Olzna (quod  
quidem non est proprium et haereditarium, sed per-  
tinet saltem ad Judicem Regium pro tempore con-  
stitutum) ubi prima meta est erecta. Deinde ascen-  
dendo et procedendo usque ad fossam retro locum  
Ecclesiae Undyrfft, ubi secunda meta est erecta.  
Abinde procedendo usque ad locum, qui vulgo (am  
Schößgraben) dicitur, ubi tertia meta est erecta. De-  
inde procedendo et ascendendo ad quendam montem  
vulgo (den Schrüwen) nuncupatum, ubi quarta meta  
est erecta. Abinde latius descendendo de monte  
Schrüwenberg, supra quandam fossam vulgo (den Schöß-  
graben) dictam, ad orientalem plagam (an der Sonn-  
Hellen) ubi quinta meta erecta est. Deinde directe  
ulterius procedendo usque ad vibices supra fossam,  
vulgo (in den Bieten auf dem Schößgraben) ad plagam  
septentrionalem (vulgo auf der Ostheiten) ubi sexta me-



ta est erecta. Inde ascendendo ad viam superiorem de Leschkirch, ubi secus viam eandem septima meta est erecta. Abine directe ascendendo usque ad dorsum montis, ubi tria Territoria, videlicet Kürpöd, Mayrpod et Leschkirch conveniunt et terminantur, ubi octava et ultima meta est erecta. Quod quidem Territorium Undyrfft vocatum, suis legitimis metis (ut praemittitur) distinctum, dictis tribus Communitatibus, videlicet Leschkirch, Kürpöd et Olzna, ad optata eorundem eo, quo sequitur, modo, sequestraverunt et diviserunt. Item partem ipsam ad orientem jacentem Communitati de Kürpöd possidendam et tenendam assignaverunt. Item partem autem ad occidentem jacentem Communitati de Leschkirch appropriaverunt. Item reliquam tertiam partem de loco, qui vulgo dicitur (Koffengraben) versus Septentrionem, usque ad primam metam territorialem juxta praedictum pratum Judicis Regii pro tempore constituti jacentem Communitati de Olzna possidendam dederunt et contulerunt, eandemque certis metis et limitibus distinxerunt, ut sequitur: Item de loco Koffengraben procedendo et ascendendo in radice montis prima meta est erecta. Deinde per parvum spatium ascendendo secunda meta est erecta; abinde procedendo et ascendendo usque ad apicem montis Koffengrad tertia meta est erecta, deinde in dorso ejusdem montis Koffengrad latius et directe procedendo quarta meta est erecta. Inde in eodem montis dorso non longe procedendo quinta meta est erecta. Abinde procedendo et descendendo usque fere prope finem ejusdem montis Koffengrad juxta foenilia dicta Domini Judicis Regii pro tempore constituti sexta meta est erecta. Inde tandem per dicta foenilia et salices directe procedendo usque ad praememoratam primam metam Territorialem, quae ut profertur, Territoria Undyrfft et Olzna distingvit, ubi

intermedio prope unam salicem septima meta est erecta.

Quam quidem divisionem praememoratarumque metarum Territorialium reambulationem et erectionem per praescriptos Juratos Fratres nostros auctoritate nostra isthuc missos vero et justo modo factam agnoscentes vigore praesentium approbamus, confirmamus et ratificamus futuris successivis temporibus perpetuo duraturam. Ipsas autem Decimas in praedictis tribus partibus Territorii Undyrff<sup>t</sup> provenientes de libera voluntate et annuentia Venerabilis Domini Mathiae Ramassy, pro nunc Decani Capituli Cibiniensis ac omnium Dominorum plebanorum ejusdem Venerabilis Capituli Cibiniensis ad Domum elemosinariam Cibiniensem pro pauperibus sustentandis perpetuo percipiendas et habendas dedimus et contulimus: Atque pro redemptione earundem Decimarum cum eisdem tribus Communitatibus eo modo concordavimus et convenimus, ut quaelibet Communitas suas Decimas provenientes pro se percipere debeat, easdemque a Dominis Elemosinariis Cibiniensibus singulis Annis, quibus ipsa Terra seritur redimere et persolvere in hunc qui sequitur modum. Item Incolae Communitatis Kürpöd solvere tenentur fl. 10. — Item Incolae Communitatis Leschkirch solvere debent fl. 3. — Item Incolae de Comunitate Olzna solvere debent fl. 2 — in cujus rei Testimonium memoriamque et firmitatem perpetuam nostras Lras majoris sigilli nostri provincialis pendentis munimine roboratas, ad praesscriptarum trium Communitatum Cautelam digne duximus elargiendas et emanandas. Datum Cibinii in Grali Nostra Congregatione vigesima die Mensis Augusti Anno Domini Millesimo, Quingentesimo Quadragesimo Tertio.

---

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv des Vereins für Siebenbürgische Landeskunde](#)

Jahr/Year: 1851

Band/Volume: [04](#)

Autor(en)/Author(s): diverse

Artikel/Article: [Copiae Privilegiorum , aliorumque literalium Instrumenttorum, quae in Archivo Sedis et Oppidi Leschkirch asservantur. 65-82](#)

